

fältigen Berichte der zum Theil sehr gut unterrichteten zeitgenössischen Annalisten Lambert von Hersfeld (bei Pertz: V. 134—263 und bei Migne: t. 146 pg. 1053—1247), Bernold von Constanz (bei Pertz: V. 385—467 und bei Ussermann: Prodr. II. pg. 27 ff.) und Berthold von Reichenau (bei Pertz V. 264—326), die casus monasterii Petershusani (bei Pertz XX. pg. 621 ff.), Ortliebs und Bertholds Zwiefalter Annalen (bei Pertz X. 64 ff. und 97 ff. und bei Hess: Monum. Guelf. pg. 165—204 und 204—216). Daran reiht sich die ausführliche und zum grossen Theil legendenhafte Lebensbeschreibung des Abtes Wilhelm, ein Panegyrikus auf ihn mit der Tendenz, die Canonisation des Abtes Wilhelm zu erlangen (Lehmann: Clugny pg. 2), wahrscheinlich verfasst unter Abt Gebhards, Wilhelms Nachfolger (Helmsdörfer pg. 1). Dieselbe findet sich abgedruckt bei Pertz (XII. 209—225) und Migne (Patrol. curs. t. 150 889—902) und bei Mabillon (Act. SS. Ord. S. Bened. Saec. VI. p. II. pg. 716 ff.). Des Trithemius Angaben lassen sich demnach jetzt besser controlliren. Allein auch hier füllt er, was z. B. der cod. hirs. nur skizzenhaft dargestellt hat, mit eigenem Product aus, und wir ziehen ihn deshalb bei unserer weiteren Geschichte nicht mehr in Betracht.

(Fortsetzung folgt im kommenden Jahrgange.)

Series Chronologico-critica

Hagiographorum sexti, septimi et octavi saeculorum.

Scripsit R. P. D. Beda Plaine, O. S. B.

I.

Sanctos, quos nunc post mortem pretiosam Deus triumphali coronat decore, fuisse in eorum temporibus praecipuum orbis decus et ornamentum, portionemque electam generis humani testantur et evincunt tum fides Christiana tum recta ratio. Nam, ut patet, nulla est nobilior pugna quam ea in qua militaverunt Sancti, id est, in qua quotidie et indefesse luctaverunt contra quaslibet naturae corruptae pravitates. Nullum item perfectius esse potest vitae genus quam illud, in quo de terrenis ad caelestia unice amanda sustollitur homo et de carnali totaliter spiritualis efficitur, ut agerunt Sancti. Hinc etiam eruitur nulla inter historica documenta pluris esse pretii, quam ea, in quibus describuntur res gestae Sanctorum et fideliter referuntur, tum certamina contra vitia carnis ac spiritus ab eis strenue inita fortiterque prosecta, tum innumera opera caritatis, religionis, et alia, quibus vigilanter insudaverunt, gloriamque aeternam meruerunt.

Insuper addi potest ad majorem hagiographorum commendationem quod tota fere sacra et profana historia medii aevi ac praesertim septimi, octavi et decimi saeculorum includitur in Actis

902/22

et Vitis Sanctorum, e quibus ea pendet tunc temporis pro majori parte, ut fatentur expresse auctores etiam acatholici, qui scientiis historicis ex professo student.¹⁾

Rebus sic stantibus non abs re et utilitate mihi visum est, recensere secundum seriem annorum, artisque criticae regulas hagiographica, quae nobis transmisit haec aetas, scripta et tractationes, ut breviter ostendatur quam ferax tunc temporis fuerit iste scientiae ramus, quantis floribus et fructibus istis annis pullulaverit. Quocirca manum adinovi ad hanc seriem recte et methodice ordinandam. Non est tamen mei propositi totum orbem orientalem occidentalemque simul uno eodemque conspectu apprehendere, neque etiam omnia medii aevi secula comprehendere. Tanto labori nimium impar essem, jamque forsitan ultra vires meas progrediar si Latinos hagiographos, qui a sexto ad octavum usque seculum floruerunt, recensere contentus fuerim. Aliunde in tractationibus hujus generis, certos et fixos praestitui necesse est limites, ne in immensum crescat operis moles, ne lector ipse taedio afficiatur, aut redactor suarum virium multum excedat virtutem.

Quod spectat ad epocham, de qua agitur, cum venia lectoris fatebor, a me sextum et duo sequentia prae caeteris secula selecta fuisse, quia illa sunt in quibus oriens ut sol S. P. Benedictus collapsam disciplinam monasticam per se et per suos discipulos mirifice instauravit celestemque aulam suis alumnis multipliciter replevit, dum multi etiam ex ejusdem schola sodales Sanctorum gloriam suis scriptis certatim celebrare studebant. Hinc talibus exemplis provocatus, licet viribus impar, in apertum campum prosilio, nam quid non alacriter audendum est quando labor incoeptus et studia inchoata debent in aliqua mensura, inservire ut spero laudibus et praeconiis Sanctorum?

Ne in his paginis citationum seu referentiarum ultra modum crescat numerus, nunquam explicite remittetur lector ad Acta Sanctorum Bollandiana, sed implicite ista referentia habebit locum quoties alii fontes nec aperientur nec indicabuntur.

†

Caput primum: Hagiographi recensentur sexti seculi.

Hagiographos suos olim habuerat antiquus populus Dei, siquidem nihil aliud sunt quam documenta hagiographica libri Tobiae, Judith, et aliquot alii ejusdem generis inter canonicas scripturas annumerati. Ipsos item non defuisse in primis Ecclesiae seculis notum est et fidem faciunt Acta Apostolorum, Passiones Martyrum et similia. In diebus vero Sylvestri et Antonii, Ambrosii et Martini adfuerunt similiter viri pii, qui res Sanctorum gestas

¹⁾ Inter acatholicos, qui tale testimonium dederunt, numerantur Leibnitz, Guizot, Pertz, Renan et cf. Acta ss. Bolland t. 7. Oct. Prolegomena, Nr. 38 et seq.

litteris sedulo exarare studuerunt. Veruntamen rarae erant et paulo extensae praesertim apud Latinos ante tempora S. Benedicti, tractationes, quae pro objecto habebant Sanctorum Vitas. Peragente vero cursum suum sexto seculo disciplina hagiographica, hucusque paulo culta, fieri coepit aliquo modo similis, ni fallor, vineae palmiti, qui turgescens floresque postea pariens optimo standem fructus producit. Aliis verbis apparuerunt tunc temporis scriptores sat numerosi, qui curam majorem ac antea adhibuerunt ad recte concinnandas Sanctorum vitas et actiones.

Quae vero de hagiographis hujus aetatis breviter dicturus sum, ad tria puncta referri possunt; scilicet, agetur ordine mere chronologico, in quantum potero:

1. De iis, qui coaevorum gesta litteris mandaverunt et ipsi proprio noscuntur nomine.

2. De iis, quorum latent nomina, licet similiter de coaevis Sanctis tractaverint.

3. De iis, qui, relictis coaevis, operam dederunt ad describenda Sanctorum praecedentium gesta et virtutes.

§ 1. Hagiographi recensentur Sexti seculi, qui nomine proprio insiguntur.

1. Eugyppius, circa ann. 510.

Primo loco nobis exhibentur Vita et Miracula S. Severini, Noricorum Apostoli († 8. jan. 482), cujus corpus a Norico Neapolim in Italia sex annis tantum post mortem pretiosam delatum est et insignis monasterii fundationi occasionem dedit. Haec scribebat ineunte sexto seculo Eugyppius, hujus monasterii abbas, licet Africanus origine, suamque scriptionem ex relatu Sancti familiarium desumptam dicabat Paschasio olim S. Leonis Papae secretario, cujus hortatu suscepta fuerat. Stylo simplici et ordinarie claro utitur iste biographus, cui non deest etiam elegantia sermonis. Insuper licet modica et paulo extensa vita S. Severini sit aliquid tamen confert adjumenti historiae tam intricatae hujus temporis.

2. Verus, circa ann. 515.

Eodem fere tempore ac Eugyppius, Verus, episcopus Arausicanus in Gallia pie et eleganter scribebat vitam sui decessoris S. Eutropii Episcopi item Arausicani († 27. mai 464), cujus vero scriptionis aliqua solummodo ad nos pervenerunt fragmenta.

3. Ennodius, circa ann. 520.

Paucis post annis S. Ennodius Papiensis Episcopus res praecclare gestas sui praedecessoris et magistri S. Epiphanii († 21 januar. 480) filiali descripsit calamo.¹⁾ Biographus ab ipso

¹⁾ S. Ennodio — por Don Francesco Magani Arcipreste di Pavia. — Pavia, 1885, 3 in 8°.

sancto ad sacrum diaconatus ordinem promotus fuerat, ipsiusque itinerum ac laborum apostolicorum frequens comes ac socius adscitus fuerat; unde multa refert testis oculatus et omni fide dignus, cui nec deest verborum sagax delectus et elegantia sermonis.

4. Elladius, circa 530.

Elladius, diaconus Valentinensis in Galliâ Ennodium aemulatus, vitam S. Apollinaris, sui dilecti magistri et Valentinensis episcopi († 5. oct. 520) ipse conscripsit sed proh dolor! brevitati plus aequo studens, nihil fere nobis transmisit praeter quatuor vel quinque miraculorum narrationem.

5. Ferrandus, diaconus Carthaginensis, circa 540.

S. Fulgentius, Episcopus Ruspensis in Africa, cujus mors pretiosa actigit die 1^a januarii anni 533, tanquam lumen fulserat initio sexti seculi. Vita ejus fere statim post mortem scripto mandata est a discipulo et familiari Ferrando, qui et ipse doctrina conspicuus optimam circa hanc rem nobis transmisit tractationem ab omni furo alienam et ex omni parte commendabilem.

6. Faustus Agaunensis circa ann. 550.

Fausto Agaunensi monacho debetur vita S. Severini Abbatis Agaunensis monasterii († 11. feb. 510), cujus fuerat discipulus et familiaris. Haec scriptio elegantia enitet styli et claritate sermonis, sed injuria temporum excidit integer textus, aut saltem in pluteis bibliothecarum delitescit, dum mutilus est, qui typis subjectus fuit.

7. Cyprianus Tolonensis et alii, c. 580.

S. Caesarius Arelatensis episcopus († 27 aug. 527) praecipuum fuit forsane Ecclesiae Gallicanae decus in prima sexti seculi medietate tum propter doctrinae et eloquentiae donum, tum propter sanctitatis miraculorumque famam. Vita vero tam eximii viri filiali calamo descripta fuit a quinque ex ejus discipulis, scilicet a S. Cypriano, Episcopo Tolonensi, a S. Firmino, Episcopo Ueticensi et a Viventio, item Episcopo sed incertae sedis necnon et a Messiano presbytero, et Stephano diacono, qui omnes, „de conversatione et virtutibus sancti praesulis illa susceperunt fideliter narraturi, quae vel simul vel singillatim cognoverant et viderant.“¹⁾ Quod propositum fideliter et feliciter executioni mandaverunt.

8. S. Gregorius Turonensis, circa 590.

S. Gregorius Turonensis Episcopus multa dignus est commendatione non solum ut Francorum historicus, sed etiam ut hagiographus. Plura etenim et praeclara scripsit ad laudem tam Sanctorum, qui erant ejus coaevi, quam aliquot aliorum, qui in

¹⁾ Vita S. Caesar. lib. 2 initio.

aevīs praecedentibus vitam egerant. Ne vero scindantur, quae uniri condecet, agetur hic de his et illis sub uno eodemque titulo. Idcirco sequitur enumeratio successiva uniuscujuslibet scripti hagiographici, cujuslibet sit generis, modo sit ipsius S. Gregorii Turonensis authentica elucubratio:

I. Miraculorum S. Martini libri quatuor.

Inter miracula, quae hic narrat scriptor, praecipuum tenent locum ea, quibus adfuit testis oculatus vel auricularis Gregorius, quin tamen praetermittantur illa, quae antecederent contigerant.

II. De Gloriâ martyrum duo libri.

Liber primus S. Joannis Baptistae, Apostolorum, et aliquot aliorum primitivae Ecclesiae Sanctorum breviter miracula refert; secundus vero nobis unice exhibet Vitam, martyrium et miracula S. Juliani Brivatensis († 28 aug. 304?) quem maximâ veneratione merito prosequatur pius auctor, utpote oriundum ejusdem regionis Arvernicae ac ipse.

III. De Gloriâ confessorum, unus liber. Vitae Patrum, unus liber.

Hae duae descriptiones sub eodem numero propter analogiam rei posse comprehendī videntur. Nam in utroque libro tractatur fere semper et unice de sanctis coaevīs,¹⁾ quorum vita et miracula strictim describuntur. Porro hae descriptiones maximi sunt hodie momenti, siquidem in his multoties includitur, deperditis aliis documentis, quidquid scitur authentice de pluribus ex eorum Patribus, quorum aliunde cultus et patrocinium adhuc vigent, favente Deo, pluribus in locis. Inter scripta Turonensis nostri recensentur etiam a quibusdam eruditis liber Miraculorum S. Andreae Apostoli, item una ex Graeco versio historiae Septem Dormientium Ephesinorum, item vitae SS. Aredii, Mauriti et Albini, sed deficiunt de istis notae authenticitatis.

Uberem vero fontem notitiarum hagiographicarum contineri in decem libris Historiae Ecclesiasticae Francorum, qui efformant praecipuum opus ejusdem S. Gregorii, a nemine in dubium revocari potest, testibus in primis sociis Bollandianis, qui plurima ex ea olim hauserunt, sicut et nunc temporis fere quotidie hauriunt.

Nimiae credulitatis revera insimulatur noster Gregorius ab aliquot eruditis et rem aliqua probabilitate gaudere facile crederem, quando agitur unice de narrationibus, quae spectant res et miracula seculi quinti et praecedentium annorum. Si vero in causa sunt res et miracula sexti seculi, seu in quibus frequenter

¹⁾ Non de omnibus tamen, sed tantum de aliquot maxime sibi notis. Sic tacet de SS. Mauro, Martino Vertavensi, Samsone et aliis Armoricanis.

testis fuit auricularis aut etiam oculatus ipse auctor, Gregorium esse veridicum et omni fide dignum, nisi adsit contraria et authentica in casu particulari probatio, cum criticistis melioris notae sentio et assero.

Quoad stylum utitur Gregorius sermone claro et simplici, cui si aliquando miscantur neologismi, seu defectus elegantiae et concinnitatis, nihil tamen nisi perraro sapit in eo prolixitatem, seu phrasium male instructarum obscuritatem.

9. Victor Tununensis in Africa, c. 590?

Post historiam ecclesiasticam Francorum, et forsitan meliori titulo inseri potest inter monumenta hagiographica sexti seculi *Historia Persecutionis Vandalicae in Africa*, cujus est auctor B. Victor Episcopus Tununensis.

In ista namque descriptione, quae nitet sermonis elegantia et concinnitate, dicantur sat frequenter pluribus sanctis aliunde parum notis notitiae adeo extensae, ut aliquando excedant, numero linearum et paginarum expenso, tractationes ejusdem temporis speciatim gestis alicujus Sancti describendis deputatas.

10. S. Gregorius Papa, c. 595.

S. Gregorius Magnus, cujus vita protrahitur usque ad annum quartum septimi seculi ineuntis, ad sextum nihilominus magis proprie pertinere videtur, praecipue tanquam hagiographus Nam iste gloriosus Pontifex, quem nominare sat laudare est, qui monachi vitam egit pedumque abbatiale fortiter et suaviter gestavit antequam Cathedram Petri conscenderet, non fuit tantum sagacissimus Sacrarum Scripturarum interpres, egregius Verbi divini praedicator, custos vigilantissimus ovilis Christi nauclerusque sapientissimus navis Ecclesiae, sese vero etiam in genere scribendi hagiographico exercuit, et talem in hoc perfectionem assecutus est, ut multi postea eum imitari studuerint.¹⁾ Scripsit enim sub forma *Dialogi* quatuor libros, in quibus strictim referantur praecipua miracula et gesta Sanctorum, qui Italiam hoc aevo incoluerunt. Unde saepe vocantur:

Vitae Sanctorum Italarum. Mirantur omnes in eo simplicitatem et elegantiam sermonis simul ac acuitatem ingenii, necnon et velocitatem narratoris semper ad finem sine mora inutili currentis.

11. Paulus Galeatensis.

Paulus monachus Galeatensis prope Ravennam et coaevus S. Gregorii Magni nobis reliquit litteris exaratam vitam S. Hilari († 15. maii 558) dicti monasterii Galeatensis fundatoris et primi

¹⁾ Durante medio aeo, libri *Dialogorum* S. Gregorii magna fama gaudebant, et frequenter in exemplar ab hagiographis in sumebantur.

Abbatis, cujus fuerat discipulus. Nimis parce narrat iste sui praeceptoris gesta, sed stylo polito utitur et insuper, ut ipse testatur, „ea quae vidit et auribus percepit fideliter conscripsit ad laudem Domini nostri Jesu Christi.“¹⁾

12. Fortunatus Pictaviensis.

S. Venantius Fortunatus Episcopus Pictaviensis ad sextum seculum potissimum spectat licet, vita ejus protracta fuerit usque ad primos annos sequentis seculi. Metro et prosa scripsit Fortunatus tum de Sanctis sui temporis tum de Sanctis praecedentium aetatum primumque forsitan locum obtinere mereretur inter hagiographos sexti seculi, si de eorum merito comparativo ageretur, et causa ista definitivam per sententiam absolvi posset. Porro ad duas classes reduci possunt scripta hagiographica nostri Episcopi Pictaviensis nempe ad primigenia et ad retractata.

In capite primorum collocari debet Vita S. Radegundis († 13. aug. 587), Reginae Francorum et postea monasterii S. Crucis Pictaviensis fundatricis, quam ipse sibi religiosissimâ familiaritate pluribus annis devinxerat biographus. Deinde veniunt vitae Sanctorum Albini Andegavensis episcopi († 1. mart. 550), Leobini Carnotensis episcopi († 15. sept. 556), Medardi item Suessionensis († 8. jun. 561), Paterni item Abrincensis († 16. apr. 565) et Germani item Parisiensis († 28. maii 576), quibuscum familiariter convixerat in multis circumstantiis relator, qui insuper multa ex eorum discipulorum tanquam testium oculatorum collegerat verbis et narrationibus. Unde biographum omnimoda fide dignum esse manifeste eruitur.

Utrum pariter inter scripta Fortunati primigenia computari debeat Vita S. Remigii Episcopi Remensis († 13. januar. 533)?²⁾ controvertitur inter eruditos. Sed melior videtur negativa sententia, si quidem Remigium Fortunatus nec viderat nec audierat, et insuper multa teste Hincmaro, ex priori et prolixiori scriptioe mutuatus est in hac circumstantia Praesul Pictaviensis.³⁾

Indubie vero inter retractata ejusdem Fortunati scripta computantur Vitae SS. Marcelli Parisiensis Episcopi († 2 nov. 340), Hilarii Pictaviensis item Episcopi († 13. januar. 369), Amantii Ruthenensis item episcopi († 4. nov. 250), Passio SS. Dionysii, Rustici et Eleutherii Parisiensium († 9. oct. 120), quae deperditis nunc scriptis antiquioribus, pluris sunt pretii et multum adjumenti conferunt ad depellendas primorum seculorum Ecclesiae Gallicanae tenebras seu obscuritates.

¹⁾ Vita S. Hilari circa finem.

²⁾ Acta tamen S. Remigii ad diem primum Octobris, qui est ejus sacratus dies, rejecerunt socii Bollandiani.

³⁾ Prolog. in Vitam S. Remigii.

Caeterum sermonis elegantiam et alias styli dotes praedicare in Fortunato abs re esset: quippe quem omnes eruditi certatim ad sidera tollunt.

Multa etiam et luculenta metro scripsit idem Episcopus Pictaviensis, sat pauca vero ex ejus carminibus generi hagiographico pertinent nempe:

1. Quatuor libri de miraculis S. Martini Turo-nensis, in quibus ad leges metri reducuntur ea, quae prosa retulerat Sulpicius Severus.

2. Duo vel tria parva poemata in laudem S. Felicis Episcopi Nannetensis († 7 jul. 583) coaevi et familiaris exarata.

Occasione naeta hic inscribuntur nomina duorum aliorum hujus aevi poetarum, qui Sanctorum laudes metricè prosecuti sunt scilicet:

1. Arator, Ecclesiae Romanae subdiaconus, cui debetur ex Graeco latina et metrica versio Actuum Apostolorum. in qua necessario, ut patet, compendiosae SS. Petri, Pauli, Stephani et aliorum aliorum includuntur Vitae.

2. Elpis, uxor celeberrimi philosophi Boetii, quae duos composuit hymnos in laudem Apostolorum Petri et Pauli, a quibus aliqua mutuata est Ecclesia Romana pro officio duorum Apostolorum.

Alios poetas christianos produxit sextum seculum, ut Avitum Viennensem, Dynamium et alios; qui tamen non videntur aliquid metricè cecinisse ad Laudem et gloriam Sanctorum.

13. Gordianus?

Contigit die quinta Octobris anni 539, ut creditur, triumphalis Passio S. Placidi, discipuli S. Benedicti et Protomartyris Ordinis monastici. Tormentorum, quae Placidus ipse et socii ejus a Barbaris pro Christo invicta patientia sustinuerunt, relatio quaedam ad nos transmissa est tanquam a teste oculato, Gordiano scilicet monacho scripta: verum prohi dolor! haec narratio non paucis interpolationibus foedata est: unde a multis tanquam mere spurium opus rejicitur, quae sententia plus aequo severa mihi videtur: nam in ea plura fide digna meo judicio cum aliis dubiis seu falsis miscentur. His dictis de hagiographis proprio nomine insignitis, nunc ad anonyms transeundum est.

§ 2. Sexti Seculi hagiographi anonymi, qui de Sanctis Coaevis tractaverunt.

Scripta anonyma numerosa sunt in omni aevo et in omni genere litteraturae. sed praecipue in genere hagiographico. Ad recensenda vero scripta hujus speciei, quae ad sextum seculum spectant, ordinem sequar geographicum, deficientibus fere omnibus caracteribus chronologicis. Incipiam vero a Galliâ.

I. Gallia.

1. Condatensis monachus erat anonymus, cui debentur tum vita et miracula S. Eugendi, (1. jan. 510) primi abbatis monasterii Condatensis, tum vitae SS. Romani (28. feb. 460) et Lupicini (21. mart. 490) anachoretarum, quorum ipse Eugendus fuerat discipulus. Auctor ipse sub disciplinâ vixerat ejusdem Eugendi, et maximam partem rerum, quas deinde scribens inseruit, ex ore pii magistri hauserat. Caeterum stylo simplici et claro utitur nôster anonymus et ab omni fuce abhorret.

2. Passio SS. Emani et Sociorum ejus Carnotensium (16. maii 550) opus est alicujus anonymi ejusdem regionis, qui nihil aliunde admisit „quod non aut proprio visui sit monstratum, aut ore videntium sit insinuatum“¹⁾ ut asserit ipse relator ad ostendendum quâ bonâ fide scripserit, et quâ auctoritate gaudere debeat ejus scriptio. Aliqui tamen criticistae hujus testimonii valorem in dubium revocaverunt²⁾. Sed immerito ut puto: siquidem hanc vitam pro primâ vice litteris exaratam fuisse à Widberto, abbate S. Petri Carnotensis circa ann. 980 falso asseruerunt. Illam enim dictus Widbertus solummodo recensuit, et parvo appendice ditavit³⁾ ac proinde recensitor, non primigenius est biographus.

3. Quidam monachus Reomaensis in Burgundia eleganter descripsit in duobus libris ea „quae a multis praesentibus et vivis, qui Venerabilem Joannem viderant, didicerat.“⁴⁾ Unde patet qua bona fide et quam certis innixus testimoniis res gestas et virtutes dicti S. Joannis (28. jan. 545) referat et narret iste anonymus. Ejus vero scriptio tempus omnibus notum esse debet nec in dubium verti potest, siquidem plura ex eo de verbo ad verbum mutuatus est S. Gregorius Turonensis.⁵⁾ Aliunde ipsa scriptio nostri anonymi recensita fuit in septimo seculo et in aliquibus locis interpolata a Jona Elnonensi, de quo tunc agam. Sed textus primigenius, qui Bollandum fugerat, postea e tenebris bibliothecarum erutus est ac luce publicâ donatus cura et opera Doctissimi nostri Mabillonii.⁶⁾

4. Alius anonymus Carnotensis. Utrum a coaevo seu ab auctore suppari scripta sit vita S. Solemnis Episcopi Carnotensis († 25. sept. 508), jure dubitatur, siquidem in ea adsunt aliqui errores historici, verbi gratia, Gothi cum Alamannis occasione pugnae Tolbiacensis confunduntur, et insuper sub forma sermonis

¹⁾ Prolog. in Vitam S. Emani.

²⁾ Hist. litter. de la France, t. 6 p. 407.

³⁾ Socii Bolland. De S. Emano. proleg. p. I.

⁴⁾ Prolog. in Vitam S. Joannis.

⁵⁾ Gregor. Turon. -- De Gloria Confessor 87.

⁶⁾ Acta SS. O. S. B. t. I. p. 635 et seq.

panegyrici die festo sancti annuo recurrente prolata est seu scripto mandata ista narratio.

5. Anonymus Dolensis in Armoricâ. Jam a seculo praecedenti incooperant Britannia major et Hibernia deputare versus alias Europae regiones viros apostolicos, qui, zelo domus Dei accensi rem Christianim et monasticam mirefice illustraverunt: quod opus strenue prosecutum est per plura alia secula

Inter istos viros apostolicos qui sic de Ecclesia bene meruerunt, praecipuum tenet locum S. Samsø, Dolensis Episcopus († 28. jul. 580?), cujus virtutes et miracula sat accurate litteris mandata sunt ab aliquo ex ejus supparibus et postea a pluribus aliis sed minus ample et minus fideliter. Istius anonymi Dolensis tractatio hucusque ignota recentissime luce publica donata est.¹⁾

6. Brevitatis causa simplicem mihi juvat tribuere mentionem sequentibus anonymis, quibus debentur:

1. Vita S. Genovefae Parisiensis († 3. januar. 520).
2. " S. Melanii Episcopi Redonensis († 6. jan. 530).
3. " S. Vedasti Episcopi Atrebatensis († 6. feb. 565).
4. " S. Nicetii Episcopi Lugdunensis († 2. apr. 573).
5. " S. Lifardi Magdunensis, confess. († 2. jun. 550).
6. " S. Aviti Abbatis Miciecensis (17. jun. 530).
7. " S. Consortiae Virginis (22. jun. 578).
8. " S. Maxentii Abbatis Pictav. (20. jun. 530).
9. " S. Eparchii anachoretæ Engolismensis (1. jul. 565).
10. " S. Eptadii Confess. in pago Morinensi (24. aug. 533).
11. " S. Rigomeri Conf. apud Canomensis (id. 580).
12. " S. Agili Vicecomitis Aurelian. (30. aug. 587).
13. " S. Sequani, Abbatis in Burgundiâ (19. sept. 560).
14. " S. Eusicii Cellensis apud Bituriges (27. nov. 560? ²⁾)

Omnes hae scriptiones, quarum numerus forsitan adaugeri posset, videntur a coaevis scriptae, vel supparibus ex relatu testium oculatorum seu auritorum; insuper pie sunt et correcte scriptae sed pleraeque earum plus aequo brevitati student. Insuper aliquot ex eis nimium indulgent miraculis dum negligunt facta historica. Sed quidquid sit de earum qualitatibus vel defectibus, multum nihilominus adjumenti praestare possunt ad historiam provinciarum, civitatum seu locorum speciatim consideratam elucidandam.

II. Britannia Major et Hibernia.

Ex insulis Britannicis et ex Hibernia multi prodierunt Sancti in sexto seculo. Eorum vero Sanctorum res mirifice gestae

¹⁾ Analecta Bolland. t. 6, p. 76—96.

²⁾ Hac ultima scriptio invenitur apud Labbe: Biblioth. ms. t. 2, p. 372 et seq.

vel paulo accuratius litteris exaratae sunt, vel saltem ad nos non pervenerunt nisi interpolatae et turpiter dehonestatae tractationes, quae istorum vitas pro objecto habent. Unde pauca auctoritate gaudent. Verumtamen recenseri possunt sequentes inter eas, quae aliqua fide dignae videntur licet non ex omni parte, scilicet:

1. Vita S. Decumani, eremitae Wallensis et martyris († 27. august 520).
2. Vita S. Cadoci, Episcopi et Confessoris († 24. jan. 560? ¹).
3. Vita S. Taliavi, Episcopi Landavensis (9. febr. 570? ²).
4. Vita S. Tresani, qui ex Hiberniâ oriundus, vitam eremiticam egit in Campaniâ Gallicâ (7. febr. 580?)
5. Vita S. Fintani, Episcopi in Hibernia (17. febr. 570?).
6. Vita S. Brigidae Virginis (1 febr. 540), item Vita Sanctorum Virginum Ittae († 19. febr. 561) et Attractae (9. febr. 580?).

III. Belgium et Germania.

Belgium mihi solummodo offert vitam S. Eleutherii, Tornacensis episcopi (20. febr. 532), Germania vero unice gesta et miracula S. Goaris (6. jul. 575), qui ex Aquitania oriundus vixit tanquam eremita prope Trevirim. Reliqua, si adsint, ad meam notitiam non venerunt.

IV. Italia.

Ad Italiam spectant tres anonymi, scilicet: Primus, cui debetur vita S. Laurentii Sipontini Episcopi (6. febr. 540). Secundus auctor est vitae S. Severi Episcopi Neapolitani (30. apr. 510). Tertius vero gesta Arthelaidis, Virginis Beneventanae (3. mart. 570), litteris exaravit. Nimirum breves sunt hae tres scriptiones sed styli correctione nitent, et aliunde deperditis quibuslibet aliis antiquis documentis alicujus pretii aestimantur istae tractatiunculae.

V. Hispania.

Duo tantum anonymi hispani hujus aetatis mihi noti sunt scilicet: unus Legionensis, cui debetur Passio SS. Vincentii, Ramiri et duodecim aliorum monachorum, qui apud Legionem a Gothis Arianis crudelissime jugulati sunt in odium consubstantialitatis Verbi divini, quam ipsi monachi clarâ voce et toto corde profitebantur (11. mart. 550—570). Alter vero Asturicensis est et auctor Vitae (sub forma sermonis in die ejus festo prolata) S. Turibii Asturicensis Episcopi (16 apr. 460). Hujus ultimae scriptionis epocha non est tamen certa nisi in quantum praecedit Maurorum infestationem seu primos annos octavi seculi.

¹) Edita est recenter inter *Life of the Cambro-British Saints* Londoverý, 1853.

²) *Liber Landavensis* Landoverý, 1860.

§ III. Scripta hagiographica sexti seculi ad Sanctos anteriorum temporum spectantia.

Magno computantur numero scripta generis hagiographici, quae coaeva nuncupari non possunt, siquidem longe post mortem alicujus Sancti exarata sunt et prodierunt vel ex traditionibus oraliter acceptis vel ex prima vita adhuc extante tunc temporis qua postea deperdita fuit.

Inter vero scriptores hujus generis, qui vixerunt sexto seculo, duo tantum proprio nomine decorantur, scilicet Stephanus Africanus, et Dynamius, alii vero hac laude carent.

Stephanus praeerat in Africa coenobio cuidam monachorum currente seculo sexto, quando Vandalorum Arianorum persecutionem declinans transit mare et secedens in Galliam a S. Aunachario Episcopo Altissiodorensi caritative susceptus est, cujus deinde hortatu et in pignus gratitudinis Vitam et miracula S. Amatoris, qui et ipse sedem Altissiodorensem tenuerat (1. maii 408), cum omni diligentia et sagacitate descripsit.

Dynamius vero, qui titulo patricii romani decoratus erat et defunctus est circa 607 apud Aquas Sextias in Provincia, magnam post se eruditionis et clari ingenii reliquit existimationem, tanquam auctor habetur, tum Vitae S. Maximi¹⁾ primo Abbatis Lerinensis et dein episcopi Regiensis († 27. nov. 462) tum etiam vitae S. Marii Abbatis Bovonensis prope Sisteronen († 27. jan. 580?) sed infeliciter hujus ultimae aliqua fragmenta tantum ad nos pervenerunt.

Quoad alia scripta hagiographica ejusdem generis quae, licet anonyma, aliqua fide digna videntur, ad meam notitiam solummodo venerunt sequentia, quae recensentur ordine mere chronologico scilicet:

1. Vita S. Marcellini, Episcopi Ebredunensis (20. aprilis 340).
2. Vita S. Materniani, Episcopi Remensis (30. april. 367).
3. Vita S. Aniani, Episcopi Aurelianensis (27. nov. 453).²⁾
4. Vita S. Abundii, Episcopi Cornensis (2. apr. 468).
5. Vita S. Senzii, presbyteri in Etruria (25. maii 470?).

Ad eandem epocham sexti seculi reducuntur ab aliquot recentibus criticistis varia acta Martyrum, et praesertim S. Viti, qui passus est in Lucania sub Diocletiano. (15 jun. 295?) et SS. Joannis et Pauli, qui capite plexi sunt sub Juliano Apostata (26. jun. 360), sed deficiunt ad hanc assertionem stabilendam res et argumenta valida. Unde mihi videntur ipsa martyrum acta, de quibus agitur, sexto seculo esse antiquiora.

His dictis de sexto seculo, et de hagiographis, qui tunc in Ecclesia claruerunt, nunc tempus est aggrediendi septimum seculum, et inquirendi in quo gradu tunc fuerit honoris et existimationis res hagiographica. (Continuabitur anno sequenti.)

¹⁾ Patrol. lat. t. 80 p. 26 et seq.

²⁾ Surius hac die.